Quelle: https://manuscripta.at/?ID=916
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Almachius dixit quid est quod videtur esse et non est

Omnia que misto mundo sunt inuitant homines ad mortem perpetuam perpetuam temporalem. Almachius dixit. et quid est quod non videtur esse et est.

Tyburcius respondit. Vita que futura est iustis et pena debetur iniustis. Ex utroque latere uerum esse nouimus quod ueniat. Sed in felici dissimulatione quod oculis corporis subducimus. ut contra conscientiam nostram. que bona sunt malis sermonibus obumbremus. et que mala sunt bonis sermonibus adornemus. Almachius dixit. Non puto quod mente tua loquaris. Tyburcius respondit. Non mente mea loquor. Sed eius quem in uisceribus mee mentis accepi. Almachius dixit. Nunquid tu ipse scis quid loquaris. Tyburcius respondit. Quia animalis homo non percipit ea que sunt spiritus dei. spiritualis autem iudicat omnia. et ipse a nemine iudicatur. Tunc subridens prefectus iussit amoueri tyburcium. et applicari ualerianum dixitque ad eum. Quomodo non est sani capitis frater tuus saltem uel tu poteris dare responsum. Valerianus respondit. Auditus tuus errorem patitur. quia uiam sermonis nostri non potes inuenire. Prefectus dixit. Nullus sic errat. sicut uos erratis qui relictis rebus necessariis et utilibus. ineptas sectamini. respuentes gaudia et execrantes leta. atque contempnentes omne quod uite blandimento concessum est. illud tota mente suscipitis quod saluti contrarium inueniri potest. et gaudiis inimicum. Valerianus dixit. Iocantes et ridentes et uariis deliciis affluen